

***MANUSCRIPTUM GERTRUDAE
FILIAE MESCONIS II REGIS POLONIAE***

Cura VALERIANI MEYSZTOWICZ editum

INTRODUCTIO EDITORIS

A. « *Manuscriptum Gertrudianum* », *cujus textus integer nunc primum typis editur, est pars « Codicis Gertrudiani », qui aliquando etiam sub nomine « Psalterii Egberti » describitur.* (1)

Codex studiosis nunquam ignotus erat, ut notae in marginibus, saeculo XVIII anteriores, probant. Multi sunt qui de eo, saeculo elapso et currenti, scribebant. (2) *Maxima tamen ex parte auctores de picturis miniatis, quibus Codex ornatur, tractant. « Manuscriptum Gertrudianum » minorem attrahebat attentionem. Excerpta aliqua ex manuscripto Gertrudae edita sunt apud Sauerland; alia apud Severianov leguntur (quod passim a nobis notatur).*

B. *Codicis compositio. « Codex Gertrudianus », in quo « Manuscriptum Gertrudae » invenitur, constat e diversis fasciculis membraneis, variis temporibus a diversis auctoribus et scriptoribus factis. Fasciculi illi diversis sexternis, quaternis, binis et singulis foliis constantes, quorum aliqua maiorem, alia minorem foliorum numerum habent, sunt quinque.*

Primus fasciculus, quem « Gertrudianum » vocamus, 15 folia continet (f. 1-15), quorum primum album relinquitur, sequentia (f. 2, 3, 4) Kalendarium continent, caetera vero preces, (quibus inserta est quoque brevis tractatio astrologica). Fasciculus picturis « stylo byzantino » depictis, ornatur: quattuor horum in foliis 5, 9, 10 (R. et v.) inveniuntur. Notatu dignum est quintam eiusdem styli picturam in sequenti fasciculo, f. 41 depictam esse. (3)

Folia fasciculi Gertrudiani, foliis sequentis fasciculi comparata, longiora in sensu verticali, sed breviora in sensu horizontali erant: quod clarissime apparet ex utrorum abscissione, a ligatore qui eos in unum volumen ligabat, facta.

Secundus fasciculus est omnibus maior: 193 enim foliis (f. 15-208) constat, in quibus totum « Psalterium Egberti » pulcherrima scriptura carolina conscriptum et optimis picturis ornatum est. Est hic fasciculus « corpus operis », cui folia praecedentia et sequentia nonnisi quoddam additamentum constituunt; haec est ratio ob quam etiam totus Codex a nonnullis « Egbertianus » vocatur. (4)

Historia huius psalterii optime iam est descripta (v. Sauerland et Severianov). Ex dedicatione, quae in f. 16 v. et 17 R. legitur, Psalterium est donum Ruodprechti, « quod praesul suscipit Egbrecht ». EGBRECHT, aliter Egbert, etiam Ecbert vocatus, Archiepiscopus fuit Augustae Trevirorum ab a. 977, et obiit a. 993. (5) De fati hujus fasciculi, antequam partem Codicis Gertrudiani facere venit, haud aliqua certe sunt nota (6). In marginibus Psalterii saepius leguntur litterae « GRH », vario ordine disposita (7); litterae hae in aliis Codicis partibus non inveniuntur; ex quo factum, et etiam ex abscissionibus, inferre licet eas in Psalterio ante ejus in Codicem insertionem factas fuisse. Haud aliquid certi ex his litteris quoad fata Psalterii inferre licet. (8)

Tertius fasciculus solis quinque foliis constat (f. 209-213), in quibus litaniae Sanctorum inscriptae sunt. Manus, quae litanias scripsit, clare differt a manibus aliorum Coricis scriptorum. Litaniae tamen stricte cum Psalterio connexae sunt: repetuntur enim in eis nomina episcoporum Augustae Trevirorum, quorum imagines Psalterium Egbertianum ornant. Nexum inter litanias et Psalterium constituit quoque inscriptio in Psalterio Egbertiano f. 182 R. quae certe a manu scriptoris litaniarum facta est. Quae manus clarissime a manu Gertrudae differt, a qua etiam et orthographia distinguitur: scripsit enim constanter scriptor litaniarum dyphlonga in forma duplici « ae » uti scriptor Egbertiani Psalterii, nunquam vero « e caudatum » (quod hic per « é » transcribimus), ut semper scribebat Gertruda. Differentia manus Gertrudae et scriptoris litaniarum patet in folio 213 v., in quo Gertruda, in calce litaniarum, preces addidit (v. 87). (9)

Quartus fasciculus — quem « Confessori anonimo » attribuimus — in 15 foliis (ff. 214-228) praesertim formulas confessionum peccatorum continet. Scriptura huius fasciculi etiam clare eum ab aliis fasciculis distinguit; cum illi in versibus, qui per totam paginam currunt, scripserunt, « Confessor » in duabus scribebat columnis. A scriptura Gertrudae differt orthographia, qui nunquam « é » adoperat; saepius in prima persona singulari scripsit, semper in genere masculino. Caligra-

phia Confessoris a manus Gertrudae distinguitur sine ullo dubio in foliis 223 v. et 224 R., in quibus tam « Confessor », quam post eum Gertruda scripserunt; quod luce clarior apparet in folio 228 R., ubi scriptum Confessoris abrasum, et suo loco oratio Gertrudae inscripta est.

Quisnam fuerit Confessor, nescitur; ex aliquibus verbis inferre forsitan liceret eum sacerdotem fuisse: loquitur enim de « populo sibi commisso » (f. 214 R.), de « vasis sacris » (215 R.), de castitate servanda, de elemosynis susceptis; haud tamen certa esset conclusio, quia « confessio », in qua elementa supradicta inveniuntur, non est personalis, sed uti manu ductio ad examen conscientiae faciendum scripta videtur.

Quintum fasciculum constituunt 4 folia (ff. 229-232). Primum folium ab aliquo ignoto manuscripto provenire videtur; inscriptum est scriptura ab omnibus caeteris foliis nostri Codicis diversa; incipit in mediis verbis, « Laudibus in Sede Romana », et in verso continuatur a verbis « debet peccata ». Continet relationem de « Gloria » et de « Alleluia » Romae, iussu Summi Pontificis, cantatis. Folia 229 et 230 aliquas inscriptiones incertas habent: sed iam in f. 230 incipit, et per folia 231 et 232 extenditur oratio Gertrudiana. Folium 233 R. inscriptionem, anno 1557 factam, de conversione cuiusdam Pasculinae, hebraeae, habet. Folium hoc in verso album manet.

Duo sunt elementa, Codicis Gertrudiani unitatem constituentes. Primum est elementum materiale, i.e. omnium fasciculorum in unum ligatura; secundum est maioris momenti: est ipse Manuscriptum Gertrudianum, quod in primis Codicis foliis incipit, per omnes Codicis fasciculos currit, in ultimis foliis eiusdem terminatur. (10) Sat certitudini propinqua esset suppositio ligaturam materiale Codicis ab eo auctore curatam fuisse, qui primas et ultimas paginas conscripsit, et propria scriptura suisque picturis medias codicis partes adornavit.

C. Unitas « Manuscripti Gertrudiani », quamquam eum non in uno fasciculo, sed in diversis foliis unius Codicis invenimus, diversis argumentis comprobatur.

Unica est manus qua manuscriptum Gertrudianum conscriptum est; constans est modus singulas litteras scribendi: ab initio usque ad finem nullum notatur signum aliquid verbum ab alia manu scriptum fuisse; etsi Severianov contrarium sensit, attribuendum est hoc errori, ob quem ille scripta Litanistae et Confessoris a scriptis Gertrudianis non sat distinguebat. Si aliquae in caligraphia adsint differentiae, minimae sunt, et diversitati circumstantiarum, in quibus singulae inscriptiones fiebant, et praesertim temporis, attribuendae sunt.

Unica est Manuscripti Gertrudiani orthographia: diphthongi semper per « e caudatum » (quod in textu per é figuratur) signantur; quae caudula aliquando omittitur: nunquam tamen « ae » vel « oe » scriptum invenitur, uti scribebant omnes alii huius Codices scriptores — copista Egbertianus Psalmorum, Litanista et Confessor. Abbreviationes communes (e.g. « cum », « orum ») constanter in eadem forma funt, (quod non est tamen dicendum de abbreviationibus singularibus et maioribus, ubi e.g. tota doxologia unico signo exprimitur).

Unitas apparet quoque in defectibus: ab initio usque ad finem sat frequenter notatur quae mentem distractam denotant.

Unica est quoque latinitas. Praeter orationes, quae ab aliis compositae et ab auctore manuscripti non nisi abscriptae sunt, in caeteris apparet latinitatis paupertas. Apparent quoque slavismi: notamus slavonicam formam nominis Gertrudae, cuius originalis forma germanica Gertrud aut Gertrude, latina autem Gertrudis esset, et quae in Manuscripto Gertrudiano semper in forma slavonica, « Gertruda », apparet. Notetur insuper constans usus infinitivum, etiam modus activi, non in « e », sed in « i » terminare: quod linguarum slavonicarum proprium est.

Unicus et constans est usus primae personae singularis in forma feminina. (11) In toto manuscripto unus est casus, quod facile per errorem explicatur, ubi auctor hanc regulam transgressus est.

Unicus est stylus orationum, in quibus saepe recurrit identicae locutiones: ad Deum preces mittens rogat Gertruda ut exaudiatur « sicut scis et sicut vis »; « ego indigna », « ego peccatrix » sunt alia verba saepe recurrentia.

Unicus quoque apparet sensus religiosus, in profunda humilitate fundatus, saepe recurrunt signa devotionis erga SS.iam Trinitatem, SS.ium Sacramentum, Misericordiam Divinam, Beatissimam Mariam, Crucem Christi, Angelos, item erga S. Petrum; assidue orat auctor pro filio Petro; quae omnia, ab initio usque ad finem manuscripti, unicam pietatis formam distincte denotant.

Unitatem quoque manuscripti denotant maiusculae initiales, et picturae. (12)
Ex argumentis ergo caligraphicis, orthographicis, linguisticis, stylisticis, ex constanti usu formae femininae in prima persona, ex unica pietatis forma — unitas « Manuscripti Gertrudiani », per diversa loca in « Codice Gertrudiano » inscripti, certe probata apparet.

Ad faciliorem materiae comprehensionem, totum textum in 93 dividimus numeros, quorum aliqua proprias inscriptiones habebant, alia a nobis inscripta sunt. In hac divisione pro posse naturalem divisionem, in Manuscripto apparentem, secuti sumus.

D. Auctor Manuscripti Gertrudiani.

Vix aliquis dubitare potest manuscriptum Gertrudianum, ac eius picturas, saeculo XI, et quidem in secunda eius mediate factas fuisse. (13)

Orationes in prima persona generis feminini factae clare indicant auctorem feminam fuisse. (v. sup. II)

Quae femina seipsam nominat nomine « Gertruda ». (14)

Ex « proskenesi » quae in pictura folii 5 v. (N. 3) figuratur, patet eam « Matrem IAROPOLK » esse; qui IAROPOLK in iisdem picturis sub nomine Petri apparet (f. 10, N. 25). Gertruda, mater Iaropolk, qui in toto suo Manuscripto pro Petro orat, (15) eundem Petrum filium suum esse asserit. (16)

Petrus - Iaropolk saeculo XI unus notus est: ante a. 1050 natus, filius Iziaslavi ducis Turoviensis et postea principis et Regis Kiioviensis (1025-1078), m. a. 1078. Cuius mater Mesconis II, regis Poloniae, filia fuit, et est eadem Gertruda, (17) nostri codicis auctor, cuius breve curriculum vitae inferius proponimus.

E. De scriptore « Manuscripti Gertrudiani » quasi otiosum videtur quaerere; exemplaria enim scripturae Gertrudae nulla manent, nec scire possumus utrum habuerit ducissa Turoviae et Kiioviae secretarios, an manu propria scripserit. Haud tamen improbabile nobis apparet Gertrudam nostrum manuscriptum propria manu scripsisse. Si ita esset, antiquissimum exemplar chirographi dynastiae Piastorum nunc in Musaeo Foreiulensi esset.

Pro hypothese Gertrudam Manuscriptum suum propria manu scripsisse sequentes adducere possunt rationes:

Scriptura denotat personam in arte scribendi sat expertam, quae tamen non pollet illa excellentia caligraphica quae a secretario postulatur; ipsa Gertruda sic scribere potuit, vix tamen insufficientem scripturae elegantiam apud secretarium toleraret.

Adsunt in manuscripto abreviationes et contractiones, quae vix ab aliquo, nisi qui sibi soli scribat, factae esse possunt: potius signa mnemonica, quam scriptura, esse videntur; nullus secretarius eis uti permittitur.

Unica manus unicum secretarium Gertrudae fuisse indicat; nunquam ab alio aliquo inscriptiones factae sunt; quae constantia non est communis; facilius admittitur Gertrudam semper manu propria scripsisse, quam nunquam secretarium mutasse.

Preces aliquae tam sunt personales, tam multa peccata sua, filiique sui Gertruda confitetur, ut vix sine pudore transcriptio illarum confessionum secretario committeretur.

Scimus aliunde Gertrudam e familia principum, qui litteras colebant, ortam esse; pater suus linguas latinam et graecam novit, nec Gertruda, linguae latinae gnara, artem scribendi ignorare potuit.

Ita manuscriptum, donec contrarium probetur, pro autographo habere licet. Quod tamen certe ad picturas non extenditur: eo maius, quod in picturis inscriptiones non latine, sed graece sunt factae.

F. Fontes ad Gertrudae historiam.

- 1) *Sofijskaia pierviaia lietopis'*, in *Polnoje Sobranie russkich lietopisiej V*, SPbg. 1848 V. V 138, sub anno 1043.
- 2) *Voskresienskaia lietopis'*, *ibid.*, VI SPbg., 1856 VI 331, sub anno 1038-1044.
- 3) *Lietopisnyj Sbornik (Nikonovsk. liet.)* *ibid.* IX, SPbg., 1862 IX 83, sub anno 1039-1043.
- 4) *Supraslskij Spisok* *ibid.* XVI, SPbg. 1889 XVI, 15, sub anno 6549 (1041). (quae 4 fontes non sunt nisi diversae unius fontis relationes).
- 5) *Ipatievskaja Lietopis*, vol. II, SPbg. 1854; 2 ed. 1903.
- 6) «NESTOR» seu recte:
Poviest Vremennyh let (improprie Chronicon Nestori dictum). Textum v. Latopis Nestora in Monumenta Poloniae Historica I, Leopoli 1864, I 521-863. Anglicam criticam novissimam versionem vide CROSS et SHEBROWITZ-WETZOR, The Russian Primary Chronicle, Cambridge, Mass. (1953).
Quae fons a nobis semper secundum editionem in lingua slavonica citatur, quae cum versione anglica comparata a nobis est.
- 7) *Vita Moisi Hungari seu Polikarpa Mnicha Kijowskich Pieczar Zywoit Mojzesa Wegrzyna* ed. KALUZNIACKI, E. in *Monumenta Poloniae Historica, IV Leopoli 1884, IV 797-817. v. 816-817.*
- 8) *Galli Anonimi Chronicon* ed. BIELOWSKI, A., *Galla Kronika in Monumenta Poloniae Historica I, Leopoli 1864 I 379-485.*
v. (sub anno 1068), I 419.
- 8) *Gregorii VII Registrum Lib. I-IV* ed. CASPAR, E. in *Epistolae Selectae ad usum scholarum, Berolini 1920, v. II, 73 (p. 233) et II 74 (p. 23).*

G. Gertrudae curriculum vitae.

- a. 1014 (+ n?) nascitur.
- 1025 moritur avus Boleslaus Magnus, pater Mescio II fit rex Poloniae.
 - 1034 moritur pater Mescio II, frater Boleslaus Oblitus fit rex Poloniae.
 - 1036 mater Regina Richeza exiliatur.
 - 1038 moritur frater Boleslaus Oblitus, Polonia a Bohemis invasa.
 - 1039 regnare coepit frater Casimirus I Renovator. Gertruda Iziaslavo duci Turoviensi desponsatur.
 - 1040 (+ n?) nascitur filius Mstislavus.
 - 1044 mariti soror, Anastasia, Andreae Regi Hungariae desponsatur.
 - 1049 socru, Ingrid, Regis Svetiae Olavi filia, moritur.
 - 1050 natus est filius, Iaropolk Petrus.
 - 1051 mariti soror, Anna, Henrico I regi Galliae desponsatur.
 - 1054 socer, Iaroslavus I, moritur; maritus Iziaslavus regnare coepit Kiioviae.
 - 1058 frater, Casimirus Rex Poloniae, obiit, regnare coepit fratris filius, Boleslaus Audax.
 - 1063 Mater, Richeza Regina Poloniae, obiit.
 - 1068 bellum super flumen Alta, prima fuga in Polonia, cum Iziaslavo marito
 - 1070 Boleslao Audaci iuvante redeunt Kijoviam.
 - 1071 filius Mstislavus obiit.
 - 1073 Secunda fuga in Polonia, cum Iziaslavo marito et Iaropolko filio.
 - 1075 per legationes et epistolas cum Gregorio VII commercium.
 - 1077 iterum Polonis iuvantibus redeunt Kiioviam.
 - 1078 Iziaslavus, maritus, occisus ad Nezatina Niva; regnare coepit Kiioviae Vsevólod.
 - 1079 S. Stanislaus Cracoviae occiditur, Boleslaus Audax in Polonia regnare cessat.
 - 1085 Iaropolk fugit Poloniam, matrem in Luck relinquit.
 - 1086 Iaropolk revertitur,
 - 1087 et occisus est.

- 1088 « Eudoxia », filia, Mesconi filio Boleslai Audacis desponsatur.
1089 moriuntur filia et gener.
1093 Vsevolod, mariti frater, princeps Kiioviae, obiit, regnare coepit Gertrudae filius Swiatopolk II.
1094 Swiatopolk II filius uxorem ducit filiam Tugur Kan.
1103 Swiatopolk II filius uxorem ducit Barbaram Comnenam.
1108, 4 I (1107 secundum chronistarum Russorum computationem annorum a 1 Martio) Gertruda obiit.

H. Quo tempore scribebat Gertruda? Licitum est tenere eam non uno afflatu totum manuscriptum confecisse, sed potius, per multos annos, novas preces Psalterio addidisse: ut et nostris temporibus piae mulieres facere solent.

Quando Gertruda scribere coepit? Haud admitti potest puellam, etsi regalis stirpis, Psalterium praetiosissimum in sua proprietate habuisse, illudque picturis adornasse et novis precibus auxisse; haud etiam, antequam desponsata esset, potuit Gertruda pictorem graeco-ruthenum habere: qui potius Kiioviae, vel saltem Turoviae venire potuit, quam in Poloniam vel Germaniam ubi Gertruda ante matrimonium vixit. Certe non ante annum 1039 manuscriptum Gertrudianum inchoeptum esse videtur; non careret argumentis qui hanc datam usque ad annum 1054 trasferre vellet, a quo Gertruda Kioviam venit; consonum hoc esset cum opinione historicorum artis, qui picturas Gertrudianas ad secundam saeculi XI medietatem referunt. Imo ex facto, quod iam in primis Manuscripti Gertrudiani paginis de Iaropolko - Petro sit sermo uti de adulto; quod idem Iaropolk in picturis, codicem ornantibus, cum uxore apparet; cumque ille non potuit ante a. 1040 nasci; Manuscriptum Gertrudianum vix ante a. 1060 inchoeptum esse putamus, solum « Kalendarium » excipiendo, quod forse etiam prius conscriptum esse potuit.

Ex eo, quod Pascha in calendario Gertrudiano die 27 Martii notatur, nihil omnino deducere de tempore quo scribebatur licet (cf. notam ad 27 Martii, in Kalendario).

Nec aliquid deducitur ex facto, quod nulla est mentio Iziaslavi in Manuscripto: etiam eo vivente potuit Gertruda preces filio, non marito dedicare; et insuper saltem allusiones ad Iziaslaum in precibus inveniuntur (N. 21 et 90).

Festum Sancti Stephani, Regis Hungariae, qui anno 1083 in album sanctorum relatus est, non potuit Gertrudam latere; attamen hoc festum in prima Kalendarii Gertrudiani forma non notatur, et nonnisi posterius in Kalendarium inscriptum est. Unde liquet Manuscriptum ante annum 1083 inchoeptum esse. Itaque post annum 1039, vet potius post a. 1060, et certe ante annum 1083, Gertruda scribere coepit.

Quando opus suum persolvit? Ex modo, quo Gertruda etiam in ultimis Manuscripti sui partibus pro Petro-Iaropolko, filio suo, orat, eum inter vivos adesse apparet (cf. notas 11, ad N. 91). Cum ipse tamen die 22.XI.1087 occisus sit, nihil post hanc diem a Gertruda in Manuscripto illatum esse credimus.

I. Interpolationes. Manuscriptum Gertrudianum, saltem pro ea parte, quae in foliis Egbertianis, Litaniarum et Confessoris inscriptum est, pro « interpolatione » haberi potest. Non desunt tamen in eo inscriptiones, quae interpollationes sunt respectu ad ipsum Manuscriptum Gertrudianum. Quarum interpollationum quinque distinguimus species.

1) Sunt in Kalendario interpolationes, signo [. I .] a nobis notatae: una, sub die 22 VIII, de Sancto Stephano, Hungariae rege, quae videtur mox post suam canonizationem anno 1083 facta; quam probabiliter ipsa Gertruda fecit; altera, semiabrsa, de Demetrio infante, 16.IX quae forsitam eidem Gertrudae attribuenda est, cuius maritus Iziaslaus-Demetrius vocabatur.

2) Quae signo [] notantur interpollationes « Necrologistae Salomeano » adscribimus; in eis enim Salomeae, filiae Comitis de Berg, secundae uxoris Boleslai Curvi, ducis Poloniae (18), parentela nominatur (19). Non est tamen Salomea earum interpollationum auctor: quia et sui obitus memoria inter eas inscripta

est; (20) *Necrologista Salomeanus* est ipsius *Salomeae* filia, «*Certut ducissa*», *monialis Zwiefaltensis* (21), cuius nomen in *Additamento ad Necrologium Zwifaltensium* invenitur (22); quasi omnia enim nomina, a *Necrologista Salomeano* inscripta, quae ad parentelam *Salomeae* et *Gertrut* non spectant, in *Necrologio Zwifaltensi* inveniuntur, et coevos *Gertrut* indicant (23). Non invenitur inter *moniales Zwiefaltenses* nulla *Ludmila*, cuius nomen a *Gertrut* sub die 12.XI. notatur; sed hoc est nomen *Sanctae ducissae Bohemiae*, quae anus *Gertrut*, ex parte proaviae *Dubrovae*, fuit. Nec aliquo modo vocem «*Humiburc*», sub 24.XII. a *Necrologista Salomeano* additam, elucidare possumus.

3) Signo [[]] distinguimus *semiabrasam interpolationem medioevalem*, quae in f. 8 (N. 22) invenitur, quaeque notat *donationem nostri Codicis a S. Elisabeth a. 1229 Capitulo Foreiulensi factam*. Jam ante a. 1702 haec *inscriptio abrasa* fuit.

4) Signum [[[]]] «*Glossatorem modernum*» indicat cuius est nota in eodem folio 8 v. (N. 22). *Glossator textum elisabetianum legere non valuit*; quem *Philippus de Turrus, episcopus Adriensis*, in sequenti pagina transcriptis: unde liquet eum ante *Philippum de Turrus*, i.e. ante annum 1702, scripsisse; quod etiam scriptura confirmare videtur. «*Glossatori moderno*», ob similitudinem modi quo penam ducebat, attribuiamus *crucis et manus quibus indignantur nomina Gertrudae et Petri*, et abrasiones in textu; quae omnes eandem voluntatem *historiam Codicis elucidandi* demonstrant, ac iram erga *abrasorem*.

5) Signo [[[[]]]] praetiosam *interpolationem* (v. 22) *Philippi a Turrus, Episcopi Adriensis*, notamus; signavit notam suam litteris: «*Ph. a T.*» et titulo «*episcopus adriensis*» unde patet notam non ante 6.II.1702 factam fuisse. *Brevem historiam Codicis* narrat, haud erroribus liberam. Obiit *Philippus a Turrus* die 25.II.1717.

K. *Abrasiones*. Aliquas *abrasiones* in *Manuscripto Gertrudiano* jam «*Glossator Modernus*» ante an. 1702 notavit: *abrasa sunt, in aliquibus locis, nomina eorum, in cuius proprietate codex olim fuerat: ita, pluries abrasa sunt nomina Gertrudae et Petri, et tota descriptio donationis Codicis Capitulo Foreiulensi*.

Etiam in aliis locis *abrasiones* inveniuntur. Non tamen omnia nomina delere valuit manus, quam «*Glossator*» «*sceleratam*» vocat: defectus *attentionis nomina*, in *manuscripto saepe repetita*, ab *abrasione salvavit*.

Quo tempore factae sunt *abrasiones*? Certe non ante annum 1229, cui posterior est *abrasio notae Elisabethianae*; nec post a. 1702, quo «*Glossator Modernus*» *abrasiones jam factas deplorat*; nisi admittatur non unum, sed plures «*abrasores*» in *Codice nostro nefandam actionem commisisse, quod haud possibile apparet*. Quae esset «*sceleris*» ratio, nescitur.

L. «*Codicis Gertrudiani*» fata.

Ut iam notavimus, «*Codicem Gertrudianum*» tunc ortum esse quando eadem *Gertruda*, quae est «*Manuscripti Gertrudiani*» auctor et scriptor, eum et diversis *fasciulis consutum esse iussit*: ergo ante annum 1108, quo *Gertruda* e vita cessit.

Certum est postea *Codicem* in manu «*Gertrut Ducissae*», *Monialis Zwifaltensis* fuisse (1123-1160). Via, qua *Codex ad Gertrut monialem* venit, ex eo percipitur, quod *Gertruda Miecislai filia neptim e filio Sviatopolco habuit, nomine Zbyslavam* (ob. 1113), *Boleslavi Curvi* (1086-1138) primam uxorem (v. tabulas *Genealogicas*); praesumitur hanc *Zbyslavam latinum codicem aviae accepisse, cum latino principi desponsabatur*. Post *Zbyslavae obitum codex, Boleslao relictus, ab eo filiae suae Gertrut, ex novo matrimonio natae, transire potuit*.

Obiit *Gertrut Monialis* anno 1160; nescimus quo facto *Codex noster ex Monasterio Zwifaltensi ad S. Elisabeth* (1207-1231) transitit. Notare tamen possumus matrem *S. Elisabeth, Gertrudem Reginam Hungariae, ex domo Comitum de Andechs* esse, quae aliquod jus in *Monasterio Zwifaltensi* habuisse videtur.

Ex *inscriptione abrasa*, quae tamen adhuc legitur, in f. 8 (N. 22), scimus *Codicem a. 1229 Capitulo Foreiulensi a S. Elisabeth datum esse*. Hucusque in *Foro Julii, iam non apud Capitulum sed in Museo Civili* custoditur.

NOTAE AD INTRUCTIONEM

(1) Sub nomine « Psalterium » in « Museo Archeologico Nazionale », Foris Iulii (Civitate in Friuli) uti pars « Archivi ex-Capitularis » custoditur.

Cfr. ZORZI, Alvise, in MEZZANTINI, *Inventari dei manoscritti delle biblioteche d'Italia*. Forli 1893 III 164 N. 4 Segn CXXXVI, (sub nomine « Liber precum Gertrudis »).

(2) Bibliographiam optime collexit MUZZIOLI, *Mostra Storica della Miniatura, Catalogo*, Firenze 1953.

Inter opera maioris momenti notentur:

SAUERLAND u. HASELOFF, *Der Psalter des Erzbischof Egbert v. Trier*, Trier, 1901.

SEVERIANOV, S., *Codez Gertrudianus*, in *Sbornik Atielenia russkago jazyka i slovesnosti Rossijskoi Akademii Nauk*. Petrograd 1922.

ZORZI, Alvise, in MEZZANTINI, *Inventari dei manoscritti delle biblioteche d'Italia*, Forli 1893, III 164.

(3) Picturarum reproductiones v. SAUERLAND Tab. 42, 43, 44, 45, 46.

Picturam f. 5 reprodovxit GEROLA G., *Le fonti italiane per la iconografia dei reali di Polonia*, Firenze, Olschi, 1935.

(4) Ita SAUERLAND: « *Der Psalter Erzbischof Egberts* ».

(5) v. GAMS, 318, vide etiam KAMMER, K. *Egbert*, in *Lex. f. Theol., in Kirche III 544-5*; CHEVALIER, I 1287 (sous Egbert de Hollande) ubi bibliographia citatur.

(6) SAUERLAND fecit aliquas suppositiones de via per quam Psalterium ad Gertrudam pervenire potuit. Nulla probata est, quamvis nec ulla evclusa videatur.

(7) Litterae « GRH » tres, vel aliquando una aliave earum abscissa vel ommissa, leguntur in marginibus « Psalterii Egbertiani » in foliis sequentibus:

23 v., 24 v., 26 R., 27 v., 32 R., 33 v., 34 R. v., 37 R., 38 v., 48 R., 49 R., 51 v., 52 R., 55 v., 56 v., 57 v., 61 v., 65 v., 68 R., 69 R., 70 R. v., 72 R., 73 R. v., 74 R. v., 75 R., 76 R., 80 R. v., 81 R., 82 R., 83 R. v., 85 R., 86 R., 88 v., 89 R., 90 R. v., 91 R. v., 93 v., 94 R., 95 v., 97 R., 98 R., 100 v., 101 R. v., 102 R. v., 103 v., 104 v., 105 v., 106 R. v., 107 R. v., 108 R. v., 109 R. v., 110 R. v., 111 v., 116 v., 117 R. v., 119 R., 120 v., 121 R., 123 R. v., 124 v., 125 R., 126 R. v., 130 R., 131 R. v., 132 v., 133 R. v., 135 R., 137 R. v., 138 R., 139 R. v., 141 R. v., 142 R. v., 143 v., 144 R. v., 149 v., 150 v., 152 v., 153 R. v., 154 v., 155 R., 156 R., 158 R., 159 v., 160 R., 162 R. v., 165 R. v., 166 R., 167 R. v., 168 R., 169 v., 170 R., 172 v., 173 R., 174 v., 175 v., 176 R. v., 177 v., 178 v., 179 R. v., 180 R., 181 R. v., 184 R., 185 R. v., 186 R. v., 187 R., 188 v., 189 v., 191 R., 193 R., 196 R. v., 200 R.

Neque in foliis Gertrudianis, quae « Psalterium Egberti » praecedunt, nec in fasciculis subsequentis « Litaniarum » « Confessoris » vel « Incertis » signa GRH. inveniuntur: unde presumitur ea ante Codicis in unum compositionem facta fuisse. Videtur facta esse a manu quae differt a quaequumque alia quae in Codice inventur; a scriptura Gertrudiana clare distinguitur; videtur earum priorem esse.

(8) Viam quaerentes qua hoc psalterium e manibus Archiepiscopi Egberti ad manus Gertrudae filiae Regis Poloniae pervenerit, litteras GRH explicare possumus uti monogramma Geizae, Regis Hungariae, 972-997, qui a S. Adalberto Pragensi baptizatus fuit: (bibliographiam v. GREINZ, *Geisa*, in *Lex. f. Theod. und Kirche*, IV 392); cuius Geisae uxor, Adelaïda, Bela Knehini dicta, e stirpe erat regum Poloniae (v. BALZER, *Gen. Piast*, I 6). — « GRH » possunt quoque monogramma esse Giselae, Reginae Hungariae, S. Stephani uxoris, quae nata a. 985. Henrici II imperatoris soror, usque ad an. 1095 vixisse fertur. (Bibliographiam v. CHEVALIER, Dep. I 1081). Amborum tamen coniecturarum est certitudo minima.

(9) Litanias typis editas vide SAUERLAND, 191.2.

(10) Manuscriptum Gertrudianum currit per omnes quinque Codicis partes

in fasciculo I, Gertrudiano, in foliis 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15;
in fasciculo II, Ecbertiano, in foliis 16, 17, 18, 19, 20; 29, 30; 35; 40, 41; 51, 52; 65, 66;
86; 99; 115; 150, 151; 157; 159, 160; 168; 172, 173; 182; 187; 194; 205, 206, 207, 208;

in fasciculo III, Litaniarum: f. 213;

in fasciculo IV, Confessoris: f. 223, 224; 227, 228;

in fasciculo V, incerto: 230, 231, 232.

(11) Cf. orationes, in prima persona gen. feminini: N. 4, 5, 6, 7, 9, 10, 14, 15, 18, 27, 30, 31, 35, 47, 48, 52, 53, 54, 58, 59, 60, 62, 66, 70, 71, 72, 73, 74, 79, 81, 86, 89, 90, 91, 92, 93.

(12) Amplissimam de his picturis notam scripsit Arthur Haseloff (v. SAUERLAND, 173-190), ubi etiam, in tab. 42, 3, 4, 5, 6 phographicae harum picturarum reproductiones inveniuntur.

(13) Cfr. SAUERLAND.

(14) Ego Gertruda:

18, pro me famula tua Gertruda;

1, 91 me miseram famulam tuam Gertrudam;

2, 92 mihi indignae famulae tuae Gertrudae.

(15) Orationes « pro Petro » vide: N. 15, 18, 25, 32, 63, 84, 86, 87, 91. Cfr. etiam picturam 25, et nota I, 2 25.

(16) Gertruda erat mater Petri Iaropolk

pro unico filio meo Petro 1 86;

unici filii mei Petri 86;

Petrum unicum filium meum 86;

Petri unici filii mei 14 86.

(notetur hic « unicus » non numerum - alios autem filios habuit Gertruda — sed

affectum indicare: cf. DU CANGE).

(17) De matre Jaropoli, uxore Iziaslavi, v. BALZER, *Gen. Piast* II 13; et BAUM GARTEN, *Gen. et Mar.* I 23, qui etiam suam cum Gertruda, auctorem codicis identitatem, notat.

Aliter tenuit L. BETTMANN qui asserbat manuscriptum Gertrudianum ab anonima matre Petri, regis Hungariae, qui a. 1046 obiit, scriptum fuisse; errorem secutus est quoque ZORZI, III 164: correxit errorem SAUERLAND, 22. ZIEGLER *Gregor VII*, in *Studia Gregoriana* I, Romae 1947, quaestionem non solutam relinquit, indicans recte Manuscriptum Gertrudianum a matre principis qui non modo Petrus, sed etiam Jaropolk vocabatur, provenire, ut ex proskenesi in f. 5 (N. 3) patet. Addendum est quoque anonymam matrem Petri regis Hungariae, ducis Venetiae Ottonis Orseoli (n. 995, el. 1009, depositus obiit c. 1026) uxorem, non ex Slavonica, sed ex hungarica stirpe ortam fuisse: cui slavismi qui in latinitate Manuscripti Gertrudiani notantur nullo modo proprii essent. Insuper, illam anonimam Ducissam Venetiae haud vixisse usque ad secundam medietatem saeculi XI, ad quam tam scriptura Manuscripti, quam picturae se referunt.

(18) Nata ante 1101, a. 1113 Boleslao desponsata, obiit 27.VIII.1144. Cf. BALZER, *Gen. Piast.*, III, 2.

- (19) 3.I Judinda (Salomeae socrus, vel filia);
- 24.II Henricus, frater;
- 18.III Lwigard, fratris uxor;
- 9.IV Diepoldus Marchio, fratris filius;
- 26.VI Sophia Comitissa, soror;
- 29.VI Bertholdus, sororis filius;
- 11.VII Beppo Comes, avus;
- 20.VIII Adilheit, filia;
- 7.VIII Diepoldus, frater;
- 6.IX Sophia, soror;
- 24.IX Henricus, Comes et Monachus, pater;
- 27.IX Richinza, soror;
- 28.X Boleslaus dux, maritus;
- 1.XII Adilheit Comitissa, mater;
- 13.XII Boppo Comes, sororis filius.

(20) Cf. *Kalendarium* 27.VII: VI Kal. Aug. (Salome ducissa obiit).

(21) Nata 1123-4, in monasterio a 1139, obiit die 7 maii 1160. BALZER, *Gen. Piast* III 13.

(22) *Necrologium Zwifaltense*, in *MGH., Necrologia Germanica* I, 240-268 (Berolini 1886).

- (23) 26.II Hiltirin (v. Hiltirut)
- 19.III Lwigart
- 21.III Odalricus
- 12.X Bertha
- 24.XI Mahtilt

in eodem elencho, ubi « Gertrud, ducissa » notatur. inscripta sunt; in eodem Necrologio inveniuntur nomina:

- 15.VII Arnoldus, L (NZw. 267)
- 2.VIII Adilbertus Abbas (266)
- 30.XI Margareta (244).

Speciali mentione dignus est Gernot Monachus, cujus nomen Necrologista Salomeanus notavit, 17.XII, qui scitur post mortem patris Gertrudae monialis sibi reliquias ad Zwifalten attulisse scitur: v. *Orthliebi Zwifaltensis Chronicon*, in *M.G.H. Scriptores* X. 91.

1. GERTRUDAE MAIORES

MESCO I Dux Poloniae

(922 ?) - 992

DOBRAVA, Ducis Bohemiae filia

(-) - 977

DOBROMIRUS

Dux Slavorum

N. N.

HERMAN, Palatinus Lotaringiae

HELVIG

OTTO II Imperator

955 - 983

THEOPHANU Imperatoris Byz. filia

958 - 990

BOLESLAUS MAGNUS

Rex Poloniae 967 - 1025

EMNILDA

1017

HERENFRIED EZZO

Palatinus Lotaringiae

MATHILDE

MESCO II

Rex Poloniae
990 - 1034

GERTRUDA

(1015?) - 1108

RICESA

(989?) - 1063

2. GERTRUDAE EX AVO PATERNO PARENTELA (multis omissis)

BOLESLAUS MAGNUS REX POLONIAE 967 - 1025

UXOR: EMNILDA. OB. 1017.

NN FILIA ob post 1018.

Maritus: SWIATOPOLK I

"Maledictus. ob. 1019

MESCO II Rex Poloniae, 990 - 1034

Uxor: Richesa de Lotaringia (989?) - 1063

BOLESLAUS OBLITUS

Rex Poloniae, ob. 1038

CASIMIRUS I Rex Poloniae

1016 - 1058

Uxor DOBRONEGA,
Wladimiri Kiiowiensis Filia

NN FILIA

Maritus: BELA I R. Hung.

GERTRUDA

(1015?) - 1108

Maritus
Iziaslavus
Princ. Kiiowiae

BOLESLAUS AUDAX

Rex Poloniae

1058 - 1081

UXOR NN

WLADISLAUS I HERMANUS

Dux Poloniae 1040 - 1102

I uxor: JUDITA.

Bohemiae Reg Filia
ob. 1086

II Uxor: JUDITA MARIA

Henrici III Imp. Filia
ob. p. 1092

MESCO

Dux Poloniae ob. 1089

Uxor "EUDOXIA.,

Gertrudae Filia
ob. 1089

BOLESLAUS CURVUS

Dux Poloniae

1086 - 1138

NN FILIA 1088 - 112

Maritus:

Iaroslavus Dux Kiiowiae
ob. 1123

I Uxor:

ZBYSLAVA

Gertrudae ex
Filio Swiatopolke
Neptis
ob. 1109? 1113?

II Uxor

SALOMEA

Comitis de Berg Filia
ob. 1144

GERTRUT DUCISSA

Monialis in Zwi alten
1123 (4?) - 1160

(of BALZER Gen. Pfast)

114

3 GERTRUDAE EX PARTE MARITI IZIASLAVI AFFINITATES ET POSTERITAS (multis omissis)

VLADIMIRUS "SANCTUS., ob. 1115, dux Kiiowiensis.

(tillius adoptivus)

SWIATOPOLK I, maledictus, 997 - 1019

Uxor: NN. Boleslai Magni Regis Pol. filia

IAROSLAVUS I, ob. 1054

uxor INGRID, reg. Svetiae F. ob. 1050

BORIS

ob. 1015

HLEB

ob. 1015

IZIASLAUS

Princ. Kiiowiae

Uxor GERTRUDA

Mesconis II Filia
(1015) - 1108

ANASTASIA

Maritus: Andreas

Rex Hungariae

SWIATOSLAUS

Uxor: NN.

De Dietrichstein

WSIEWOŁOD

ELISABETH

Maritus I:

Haraldus

Rex Norwegiae

Maritus II

Swen, Rex Daniae

ANNA

Maritus I:

Henricus I Rex

Galliae

Maritus II:

Rauol De Valois

IAROPOLK PETRUS

(1050?) - 1087

Uxor I: Irene

Uxor II: Cunecunda

MSTISLAUS

ob. 1069

SWIATOPOLK II Michael 1050 - 1113

Uxor: BARBARA Comnena

"EUDOXIA.,

ob. 1089

Maritus:

Mesco ob. 1089

IAROSLAUS, ob. 1123

I Uxor: NN Ladislai Regis Hung. Filia

II Uxor: NN. Vladislai Ducis Pol. Filia

ZBYSLAVA, ob. 1113

Maritus:

Boleslaus Curvus Dux Poloniae 1086 - 1138

cuius post 1113 uxor:

Salomea De Berg

1101 - 1144

Inde Principes De Turow

De Pinsk, De Owruccz, De Smolensk, de Castwertnia
ET C.

Gertrut Ducissa

Monialis Zwifaltensis

1123 (4?) - 1160

(A. BAUMGARTEN Gen et. Mar).

115

SCHEMATICA CODICIS HISTORIA

II PSALTERIUM EGBERTI

Scriptum A. 977 - 993

? ante 997 est apud Geisam Regem Hungariae ?
? ante 1095 est apud Gisela Reginam Hungariae ?

I FOLIA GERTRUDAE

1039 - 1087 scriptae

III LITANIAE

Ante A. 1039

scriptae

IV CONFESIONES

Ante A. 1039

scriptae

V FOLIA INCERTA

1039 - 1087

In unum Codicem ligantur a Gertruda 1039-1087

Ante a 1113 est in manus Zbyslavae, Gertrudae neptis

Ante a 1160 est apud Gertrut Ducissam, monialem Zwifaltensem

*A 1229 a Sancta Elizabeth capitulo Foreiulensi datur ubique apud
Musaeum Archeologicum custoditur*